

GEBER. Secundum opinionem Alberti lib. 3.  
 de mineral. cap. 2. & 5. Sunt in omni metallo duæ  
 unctuositates, quarum una quasi extrinseca est  
 subtilis & flammabilis, altera vero intrinseca re-  
 tenta in radice metalli adeo ne ab igne exhauri-  
 retur aut dissiparetur, & hæc cremabilis non est  
 neq; combustibilis. Certum vero est vitrum  
 hoc humidum esse radicale ferri, propterea &  
 incombustibilis, neq; ex toto privatum humidi-  
 tate, nam si quodammodo exteriori humiditate  
 privatum sit quæ inflammabilis est, Idem Al-  
 bertus lib. jam citato cap. 4. de vitro hoc dicit.  
 Se negare materiam illam quæ in vitri substanti-  
 am intrat cineres esse, sed potius humidum radi-  
 cale purissimum quod intrinsece retinebatur in  
 ipsa materia incinerata, quæ humiditas per po-  
 tentiam unius ignis non potuit extrahi, sed igne  
 fortissimo fluit, & hæc est illa humiditas quæ ma-  
 ximam siccitatem experta est. Hæc igitur ma-  
 teria est liquabilis & materia prima & remota,  
 una & communis, hoc est humidum ipsum hu-  
 jus generis. Idem Albertus lib. 4. Meteo: tract:  
 2. cap. 9. dixit, Calorem vehementer congregare  
 partes homogeneas & separare heterogeneas,  
 quia humidum solvit & separat illud à terra, hu-  
 midum autem à terra receptum non potest pe-  
 nitus separari, propterea incipit distillari cum  
 terreo subtili, & fortissimo igne funditur in vi-  
 trum, terreum vero grossum quod fortius tenebit  
 comburitur in favillam. Et nos diximus lib. 2.  
 cap.